



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Prima Duo Sæcula Complectens

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 13322648**

§. 59. Nervæ Mors. Trajanus Imperator. Persecutio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

fit. Amen. Talis est S. Apostoli Barnabæ Epistola, quam antiquorum nonnulli inter libros Canonicos reputarunt. Eundem aliqui Ecclesiæ Mediolanensis fundatorem asserunt. Sepultus est in Insula Cypro, ubi lucem primo aspexerat, & juxta corpus ejus Exemplar Evangelii S. Matthæi est depositum.

Sæculum I.  
A. C. 98.

Martyr. II.  
Jun.

§. LIX.

*Mors Nervæ.*

Imperator Nerva canos suos despici videns, adoptatum prius in filium, Cæsarem pronuntiat Marcum Ulpium Trajanum in Hispania natum, tunc in Germania exercitui Præfectum. Obiit Nerva anno sequenti, Jesu Christi nonagesimo octavo, vigesima septima Januarii, anno ætatis sexagesimo quinto, postquam imperavit anno uno, mensibus quatuor, & diebus decem; successitque Trajanus.

Sub regni auspiciis is Legem tulit, qua omnes hominum conventus, & societates prohibebantur, quæ Lex obtentui fuit Christianorum persecutioni, quod conventus suos agere more solito non desisterent. In Italia Flavia Domitilla junior, quæ sub Domitiano in insulam Pontiam fuerat relegata, morte affecta; flammis cubiculo suo, ubi cum duabus ancillis Euphrosyna, & Theodora morabatur, subje-

Trajanus Imperator. Persecutio.

Epist. Dion. in Nerva. p. 241.

An. 98.

Plin. X. epist. 43. 97.

Martyr. 7. May.

ctis,



Sæculum I.  
A. C. 98.

*Euf. III.*  
*hist. c. 21.*

An. 98.

ctis, combusta est, cum paulo ante diversis in locis Nereus, & Achilleus Evnuchi ejus nobili martyrio defuncti fuissent, nec non Eutiches, Victorinus, & Maro ejusdem domestici. Tum vero in omnibus civitatibus populi adversus Christianos insurrexerunt.

Abilius Alexandriae Episcopus, numero tertius, hoc anno, Jesu Christi nonagesimo octavo obiit, postquam Sedem tenuisset annis tredecim, & mûneri Episcopali dignissime præfuisset. Ei successit in Cathedra Cerdon, qui eam tenuit annis undecim. Eadem tempestate Ecclesia Antiochena regebatur a S. Ignatio, S. Evodii Successore, qui S. Petro successerat.



HISTO-